

B. N. II, 53.

h. 7, 20.

X 1876137



DE

S. IMPERII RO-  
MANO-GERMANICI  
DIVISIONE IN DECEM  
CIRCULOS

DIVINI NUMINIS FAVENTE GRATIA

PRAESIDE

M. GEORG. ALBERTO  
STUBNERO

STIP. BRANDENB. ONOLDINO

AD D. XXII. NOVEMB. M DC XCIX.

PUBLICE DISSERTET

FRIDERICVS CASP. HAGEN

BARVTHINVS FRANCVS ST. B. B.

---

VITEMBERGAE,  
APVD CHRISTIANVM CREVSIGIVM, ACAD. TYPOGR.







tr  
ta  
ve  
di  
ca  
m  
in  
m  
ru  
te  
qv  
in  
fe  
Ca  
ce  
m  
ric  
m  
V  
pu  
in  
ni  
in  
po  
ti  
pu  
m  
Pa





DE S. IMPERII ROMANO-GERMANICI  
DIVISIONE IN DECEM CIRCULOS.

I.



Vanquam Respublica nostra miram rerum suarum vicissitudinem, non minus quam reliquae maiorum minorumque gentium civitates, perpetuis humanae fortis legibus obnoxiae, subinde fuerit experta; tamen, si per novem abhinc seculorum monumenta utrumque circumferimus oculos, tria potissimum tempora, mutationibus insignioribus celebrata se ingerunt, ex quibus, exerto velut digito notatis, peculiare annorum periodos, ordinant ac disponunt Historiarum periti. Primi scilicet intervalli exordium capiunt ab Imperio Caroli, qui meritorum amplitudine cognomentum Magni adeptus est, quemque primum axioma Imperiale in nationem Germanicam intulisse constanti traditione accepimus, quamquam Eruditorum non paucis aliter videatur. Alterum ab Rudolphi Habsburgici, potentiae Austriacae fundatoris, tempore auspiciantur, quem sopiendis simultatibus adscitum, quae, quatuor aut quinque Imperii procis inter se decertantibus, invaluerant, magna in Germaniae statu immutando ausum fuisse, contendunt. Tertium a Maximiliano I. eiusque Successore Carolo V. ad nostra haec tempora producunt. Etsi autem antecedentium illorum quodvis notabili conversionum characterem merito signari, haudquam diffitear; ultimam tamen hanc periodum cum duabus prioribus, illustrium rerum & varietate & magnitudine contendere nullus dubitarem. Ut enim de Caroli V. aevo non dicam, quo imperante cum religionis tum Republicarum catastrophis, ab orbe condito maximam & prorsus inauditam contigisse, nemo ignorat; sub unius certe Maximiliani auspiciis tot memoratu digna in Rempublicam Germanicam introducta sunt, ut in plerisque aliam novamque faciem dici possit induisse. Quamprimum enim rerum potitus erat laudatissimus Imperator, in eam maxime incumberebat curam, ut Rempublicam priorum temporum acerbitate nescio in quas non calamitates prolapsam, pristinae restitueret integritati. Cumque in Parentis Optimi sinu prima imperandi rudimenta posuisset &





futuris felicitatibus non sine amplissima gloria praelufisset, tanto magis postmodum consulere omnibus studebat, quanto pluribus se imperare intellexerat. Extant immortalia eius in publicum merita, quae dum dico, supremum Camerae iudicium dico, salutari & divino quasi consilio ab ipso institutum; Ius Aufstregarum dico, ab eodem sapienter confirmatum; pacem publicam dico, contra blasphemos publicatam. Ut ea quae ad instaurandam elegantiorum culturam literarum & studium praesertim Genealogicum contulit, silentio praetermittam; illud sane laudari satis nunquam potest, quod auctor svasorq; extiterit Friderico Sapientis Electori Saxoniae, ut anno supra millesimum quingentesimo & secundo hanc erigeret Academiam, quae Viros in omni eruditionis genere praestantissimos orbi universo hodieque dispensat.

II. Neque vero ita nunc tempore abutar, ut laudes, quas omnium gentium Scriptores ultro ipsi deferunt, operose hoc loco vindicem, aut rerum domi & militiae ab eo gestarum catalogum texam longiorem, quam est ille Homericus Graecarum navium: Sufficiat eius bono publico medendi studium affectumque in Germaniam tenerrimum ex hoc unico demonstrasse, quod de legitima Imperii divisione, ob amplitudinem provinciarum difficili admodum & ardua, tam solícite laboraverit, nec acquieverit ante, quam in Comitibus Augustanis sub ipsum superioris seculi ingressum, solenniter eam, nec sine improbo labore, procurasset. De qua DIVISIONE cum exercitii Academici loco, plura sed strictim commemoraturus sim, ita me componam, ut quae tum ad eius origines & incunabula, tum ad affectiones & formam, tum denique ad dignitatem utilitatemque pertinere videbuntur, luculenter explicem, simulque ex Historia Germanorum pragmatica ostendam, quibus illa terminis & olim steterit & hodie contineatur.

III. Non est autem cur prolixè hic disquiram, unde appellationem habeat S. IMPERIVM ROMANO-GERMANICVM, quandoquidem Herm. Conringius *de Germanorum Imper. Rom. c. X. & XI.* nec non Boeclerus *in Diss. de S. Rom. Imperio, Davidi Blondello opposita* rem totam contra Antagonistas praeclare solideque asseruerunt. Neque ignorat quisquam nisi hospes in re literaria, ab origine primaeva & irrefragabili iure in urbem Romam, ROMA-

NVM



NVM, a translatione vero in gentem Germanicam legibus publicis accurate circumscripta GERMANICVM dici. Sed quod SACRVM appelletur, illud mirum videri poterat, nisi iam Vir summus, Io. Henr. Boeclerus observasset, Fridericum I. Seculo post Christum natum duodecimo, hoc elogium in solenni privilegio adhiuisse, ad maiestatem Imperii sanctitatemque vindicandam, cuius caput esset Christianissimus Imperator & belli Dux adversus infideles ac barbaras gentes. Conferri huc possunt, quae habet Celeberrimus Kirchmaierus noster, Acad. Senior Venerandus, in *Diss. de S. Imp. Rom. Germ. ortu, appellatione, divisione, finibus & insignibus, Artic. II. §. 3.* ubi praeter antiquissimam consuetudinem, sensu Biblico, Theologico, Iuridico, Philologico & Civili, hoc encomium Imperio nostro deberi, praeclare ostendit.

IV. Quid vero per DECEM CIRCULOS hoc loco intelligatur, in vulgus notum est. Sunt nimirum integri provinciarum complexus, suis Directoribus & Officialibus instructi, atque ad universum Imperii Systema constituendum ordinati. Grotius nimia antiquitatis affectatione decempagos, dioeceses vero commodius Strauchius vocavit Iudice *Celeb. Kulpisio Comm. in Monzamb. c. 11. §. 14. p. 596.* Apud Mathematicos quidem linea circularis obliqvarum omnium, Ellipticarum, Hyperbolicarum, Parabolicarum & Spiraliū nobilissima est ac notissima, eiusque ambitus a peripheria usque ad centrum aequalibus lineis terminatus, appellatur Circulus. Verum hic in negotio publico & Politico istam Geometrarum ἀκριβείαν non attendimus, neque externas regionum figuras solcite dimetimur, sed amplissimos terrarum tractus in Circulos qualitercunque adornamus, quemadmodum nihil propemodum nobile ac amplum in mundo est, quod per circulos in ordinem non redigatur. Coelo inferimus Circulos, circulos per vastum ducimus Oceanum, terram quoque per circulos dispescimus, utiles sane divisiones, sed imaginarias, quaeque non plus in illis corporibus vestigii quam iuris relinquunt. Hinc Grotius: *Si dimensiones tales ad possidendum valeant, iam dudum nobis Geometrae terras, Astronomi etiam coelum eriperent.* Quid? quod Hermes ille Trismegistus ipsum Deum per Circulum descripsit, sed talem, cuius centrum ubique, circumferentia nusquam. Ex quo apparet non minus honorificam, quam utilem esse Imperii nostri in qualescunque CIRCULOS divisionem.



V. Instituta autem est ea, ceu dixi ab Imperatore Maximiliano, ante ducentos abhinc annos, eum in finem, ut Respublica haec Germanica, quae suo iam fato admoveri & ad exitum inclinare coeperat, in ordinem revocaretur. Id vero ut clarius enitescat, per aliquot retro Secula eundum est. Scilicet, si quae Maiorum nostrorum memoria gesta sunt, vel obiter percurramus, Rempublicam nostram pari semper felicitatis gradu nequaquam incessisse, sed intestinis Pontificum & Imperatorum dissidiis non raro pessime afflictam, exterorum quoque ungvibus misere laceratam fuisse, deprehendimus. Nunquam autem ab interitu propius aberat, quam post tristia Friderici II. fata, cum nemo esset, qui ad clavum sederet & qui electi fuerant, fortunam suam non satis tuerentur. Hinc rerum omnium confusio & quod Conringius in *Notis ad Lampadium* dicit, non potuit Germania haecenus ab illis morbis convalescere. Et quanquam deinceps rebus tantisper restitutis, subsequantium Imperatorum non pauci auctoritatem suam mascule defenderent, non poterant tamen distractis Germaniae provinciis usquequaque invigilare, cum & ab occidente Pontificum rabies ac perfidia per eius vitalia grassaretur, & ab Oriente immanes Turcarum molitiones aut iugum Imperio aut interitum minarentur. Hinc Maximilianus Imperator magnis virtutibus insignis & a Deo ad seculi habitum statumque melius ordinandum destinatus, tandem aliquando laboranti subvenire Germaniae in animum induxit, praeclarum fore ratus atque utile, si distingveretur in Circulos, qui sibi invicem succurrerent, & communi nexu iuncti, velut e suo quisque centro focoque aut fulgorem aut terrorem ad exterorum oculos copiose reflecterent.

VI. Fuit sane ante Maximilianum iam divisio aliqua Germaniae, sed nullis viribus subnixta. Vtrum autem ista, quae Ottonem III. Seculo iam decimo imperantem, auctorem iactat, suam tueri possit antiquitatem, vehementer dubito. Dividebat ea Ordines per quaterniones, ut essent v. gr. quatuor Duces, quatuor Marchiones, quatuor Comites provinciales, quatuor Comites castrenses, quatuor milites, quatuor civitates, quatuor pagi Imperiales &c. Adducit hanc auctor Chronici Coloniensis editi anno 1499. & in primis Münsterus *l. 3. Cosmogr. c. 18.* Atque videmus eam passim



fim depingi in fenestris, speculis & urceis. Extat Neofori (quod  
 est oppidum Palatinatus superioris vulgo Neumarcus) in Curia ta-  
 bula quaedam, in qua haec divisio non sine artificio est expressa.  
 Etiam Comites Schwarzburgenses inter elogia adhuc numerant:  
 von den vier Grafen des Reichs. Et in Recessu Imperii de anno  
 1557. se appellat Carolus de Frauenberg des H. Römischen Reichs  
 Erbritter. Verum enimvero, cum ex Scriptoribus X. XI. & XII  
 Saeculorum nemo hanc divisionem commemoraret, nec monu-  
 menta quae eam repraesentabant, urcei videlicet, tabulae, fene-  
 strae ultra ducentos annos se exporrigerent, non poterat non  
 suspicio moveri Viris rerum Germanicarum peritissimis, Vvehne-  
 ro, Conringio, Hundio, ut eam inter fabulas & otiosorum homi-  
 num commenta, sequiore seculo enata, referre prorsus non du-  
 bitarent. Etsi enim antiquitatem quandam sapere videatur, ad  
 octingentorum tamen annorum spatium nequaquam assurgit,  
 quin potius pictoris cuiusdam aut Heraldici ingenium redolet,  
 quidquid de Recessu Imperii Erfordiensis in contrarium propona-  
 tur. Nam quod in isto Schwarzburgenses ex IV. Comitibus Im-  
 perii esse dicantur, Kulpisio teste ac iudice, ex opinione vulgi ir-  
 repit, cum in rebus huius generis etiam curia quandoque deci-  
 piatur. *vid. Comm. in Monzamb. Cap. II. §. XV.* Ottonis autem ter-  
 tii opus non esse quaternariam hanc divisionem abunde osten-  
 dit Conringius *Exercitat. de Civibus Imperii §. XL. p. 24.* Referuntur  
 enim in ea Duces Brunsvvicenses, nec non Thuringiae & Hassiae  
 Landgrafii, quos tamen Ottonis tempore tales non fuisse, aliun-  
 de constat. Sabaudus etiam tunc minime locum habuit inter  
 Imperii status. Nec Lubeca ante Fridericum Barbarossam, quem  
 vocant, inter civitates Imperiales numerari potuit. Quin & mul-  
 ti Comitatus ac Civitates negliguntur, quae iam Ottonis III. ae-  
 vo insigniter eminebant. Ut de Episcopis & sacris ordini-  
 bus non dicam, de quibus altum est in hac Ordinum serie silen-  
 tium. Quare, cum Maximiliano Imperatori inordinatae huius  
 generis divisiones non probarentur, & ad constitutum noviter  
 Regimentum, sive Senatum Imperii, lectissimos quosque viros,  
 ex omni ordinum numero deligere decrevisset, maluit quoque  
 Germaniam legitime prius dividere.

VII. Annus autem supra millesimum, quingentesimus agebatur,  
 quum



quum in comitiis Augustanis primum designavit sex Circulos, Franconicum, Bavaricum, Svevicum, Rhenanum, Vestphalicum & Saxonicum. Sed postquam animadvertit, fore ut Austriaci carituri sint potestate praesentandi Assessores in iudicio & Regimento, si forte aliquando Caesaris dignitas ad aliam deveniret familiam, hinc duos adiunxit Circulos novos, Austriacum & Burgundicum, suis sic rebus studens. Cumq; Rhenanus & Saxonicus maiores ceteris ac potentiores viderentur, utrumque subdividit in superiorem & inferiorem ut enati tandem sint DECEM CIRCULI in comitiis Trevirensibus An. 1512 definiti, qui nostra lingua die zehen Reichs Kreysse vocantur. *Conf. Recess. August. de ann. 1500 & Trevirens. de a. 1512. §. 11. & 12.* Minus accurate calculum hic subduxisse videtur Goldastus, quando in Comitibus Franconicis Mergethemii A. 1387 celebratis, Imperium Germanicum primo omnium in circulos fuisse distributum, statuit, *de Regn. Bohem. l. 4. c. 8. n. 2.* Quem vero Circulorum ordinem observatum voluerint sanctiones pragmaticae, haud facile dictu est, si perpendas, non Auctores tantum in hac re admodum fluctuare, sed & in Legibus publicis eandem non semper seriem reperiri, ut benetradit & demonstrat Limnaeus *l. I. c. 7. n. 29.* Sane in prima Regimenti ordinatione de Ann. 1500 August. Tit. wie zwanzig Personen &c. in fine wie Sechs Räte aus der Ritterschafft 2c. & in ordinatione Camerae de dato Costniß 1507. nec non in R. I. de dato Trier und Cöln A. 1512. hoc ordine consignati sunt Circuli: *Franconicus, Bavaricus, Svevicus, Rhenanus, Vestphalicus cum Belgico & Saxonicus inferior.* In dicto R. I. de dato Trier & Cöln §. darauff haben wir & sqq. reliqui quatuor hoc ordine adiecti: *Austriacus, Burgundicus, quatuor Electorum ad Rheni tractum & Saxonicus superior.* Contra in declaratione pacis publicae de dato Nürnberg 1522 ita positi sunt: *Austriacus, Burgundicus, quatuor Electorum, Saxonicus superior, Franconicus, Bavaricus, Svevicus, Rhenanus, Vestphalicus & Saxonicus inferior.* Rursus in R. I. Spirensi de ann. 1542. §. Und diesem Obristen-Hauptmann 2c. Ordo talis habetur: *Quatuor Electorum Rheni, Franconicus, Bavaricus, Austriacus, Svevicus Rhenanus, Belgico-Vestphalicus, Saxonicus superior & inferior, Burgundicus.* Porro in Recessu Erfordienfi conventus omnium Circulorum, Ducum & substitutorum (excepto Burgundico, qui non comparuit) a Maximiliano II. A. 1567. nomine Imperii

con-



gregatorum, subscriptio talis facta legitur: *Legati Circuli quatuor Electorum, Saxonici Superioris, Austriaci, Franconici, Bavarici, Svecici, Rhenani, Belgico-Vestphalici & Saxonici inferioris.* In instrumento Repartitionis Noribergae 1650 confectae haec series publicata fuit: *Electoralis Rheni, Saxoniae superioris, Franconicus, Svecicus, Rheni superioris, Vestphalicus, Saxoniae inferioris, Bavaricus*, nam duo reliqui in illa omitti, quoniam Imperator & Rex Hispaniarum suis exercitibus satisfactionem iam praestiterant.

VIII. Sed quidquid horum sit, nobis impraesentiarum notasse sufficit, redactas fuisse a Maximiliano plerasque Imperii Romano-Germanici provincias, in decem Circulos, eorumque *quatuor* pertinere ac referri ad Rhenum, Burgundicum scilicet, Vestphalicum, Rhenanum inferiorem & superiorem, *tres* ad Moenum ac superiorem Danubium, ut Franconicum, Svecicum & Bavaricum, *unum* ad Danubium inferiorem, Austriacum puta, *duos* ad Viadrum Albim & Visurgim nempe Saxonicum superiorem & inferiorem. Ex quo quidem gloriosissimi Imperatoris instituto, quemadmodum tanto maior eluxerat prudentia, quanto difficilius est, vasta Imperia, insigni quadam ingeniorum diversitate laborantia, apte concinneque componere, & numerosam hominum bellicosorum manum in officio continere; ita non minora in Publicam rem emolumenta exinde haec tenus redundarunt. Hoc enim remedio si caruissemus, tota certe Imperii compages, aut mutuis dissensionibus ac odiis fuisset contrita, aut hostium insultibus ac machinis dissoluta, intercidisset. Ita scilicet in bellis copiosissimus saepe Exercitus ad unius nutum movetur, quum legiones in cohortes, cohortes in centurias, centuriae in manipulos exacte distribuuntur. Neque est gens tam barbara, tamque inculta, quae decenti dispositione & subordinatis Magistratum muniis in ordinem cogi non possit. Praeclare rem hanc exponit Herm. Conringius in Praefatione ad Politica Aristotelis, cuius verba cum nitoris tum prudentiae plena huc transferre operae pretium erit: Ita autem ille: *Certe eum in locum denique Respublica venit, ut vix quidquam superfuerit amplius, quo unitissima ante Regni membra, ad communia consilia continerentur, praeter Turcicae potentiae & proscriptionis metum: donec Friderico III. & Maximiliano Caesaribus de arctius coniungendis Germaniae Ordinibus magis sedulo coepit actitari. Et vero eo consilio in Circulos, quos vocant, Germania divisa est.*

B

veris,



veris, si non & illa divisio unitati Reip. non nihil fortassis impedimento sit. Adeo sane noxia civitati omnis distinctio est, ut vel locorum aliqua varietas atque intercapedo seditionibus sufficiat alendis, quod prudentibus notatum. Fatendum tamen omnino est, post deminutam regiam auctoritatem, huc illuc dilabentibus Imperii membris, non melius remedium aliquot fuisse seculis adhibendum. Certe abs illo si fuisset, iam dudum Germania in partes dissoluta, inque se mutuo ruens interiisset. Taceo & paci publicae eo consultum esse & legum auctoritati; quae sine cogendi facultate ludibrium iustitiae sunt. Nonnullis sane leviter mutatis & paucis additis, si non ad proferendos limites aut recuperanda amissa, ad defendenda tamen quae supererant, imprimis ad libertatem Ordinum conservandam, illis institutis sufficere sibi Germania potuit. Conferri meretur Eiusd. *Diss. de Comitiis th. LXVI.*

IX. Quemadmodum autem non statim a fonte altum oritur flumen, nec ipso lucis ortu splendet meridies, sed ab exiguis primo initiis augusta demum moles exsurgit; ita huius quoque DIVISIONIS primordiis maius subinde decus accessit, postquam non Maximilianus tantum in ea expolienda varie, ut dixi, laboravit, sed & Carolus V. operam ingeniumque ad Status cuique Circulo assignandos egregie contulit, sequentium quoque temporum Imperatoribus in ea magis & magis ornanda, velut certantibus. At enim vero, ut formosissimis corporibus naevuli se non raro intermiscunt, & coeli facies nunquam tam suda serenaque est, quin aliqua nubecula tenuis interponatur; ita non potuit haec, seu temporum iniuria, seu rei difficultate eo perfectionis & fastigii ascendere haec DIVISIO, ut nihil esset, quod in ea iure posses desiderare. Praeterquam enim quod antiquissimus ille Ducatus Montisbelgardensis nondum videatur ad Circulos relatus, propter quem tamen Dux V. Virtembergicus sessionem habet in comitiis; totum sane Regnum Bohemiae nulli adhuc dum Circulo includitur, quod tamen Imperii finibus contineri, luculenter, ut puto, demonstravit Conringius *de Finibus Imp. Germ. l. II. c. XXIX.* Nam cum Rex praecipuis Imperii deliberationibus, cum de Capite constituendo agitur, intersit, pariterque Pincernatus dignitate gaudeat, ultro sequitur, eum extra Germanici Imperii terminos esse non posse. Quinimmo si Goldastum audias, Rex Bohemiae tanquam immediatus Imperii Princeps recte riteque in iudicio Camerae convenitur & tenetur adhuc ad onera Imperii ferenda, quae controversia tum mota maxime fuit, cum de duobus  
novis



novis Circulis Bohemico & Borussico constituendis, consilia agitantur, nullo tamen subsequente eventu, eo, quod Borussia ad alios interim abiisset. De feudis Italicis, Ducatu Mantuano, Mediolanensi, Mutinensi, aliisque conqueri opus non est, cum ad Imperium pertineant, non ad Germaniam. Nec vero illud etiam de nihilo est, quod Boeclerus annotavit, ex neglectu decretorum, intermissione executionum, Directorum & Assessorum dissidiis, aliisque in sessione, voto, subscriptione &c. subortis litibus, defectus haud paucos in hanc Imperii DIVISIONEM irrepsisse.

X. At vero his talibus inveniri adhuc poterat remedium aut solatium, nisi nostra patrumque nostrorum memoria longe acerbiora supervenissent. Quis enim est, qui nesciat, omnes fere Circulos aliquot urbibus, quin & provinciis fuisse imminutos, ut quantum alicorum potentia ex nostris incrementa sumserit ruinis, describere sine lacrimis vix liceat. Sane, quod Syracusanus artifex, praeclaris cogitationibus, inter descriptas in pulvere formas geometricas, occupatus, militi temere irruenti, gladiumque intentanti, inclamasse legitur: *NOLI TURBARE MEOS CIRCULOS*, illud hactenus tot bellis petita, tot simultatibus implicita, identidem ingemuit Germania. Nihilo tamen secius tantas passa est calamitates, tot decrementa, ut nullus prope sit Circulus, cuius integritas non fuerit aut tentata aut labefactata. Posset huc applicari illud Poetae: *Aetas peior avis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosorem*. Nimirum multa amiserunt Maiores nostri, multa nos, multa amittent nepotes. Exempla in illustri posita sunt. Circulo Saxonico Elbinga atque Gedanum urbes exemptae sunt: In Svevico Constantia & Donavverda non comparent: In Burgundico si non omnia, saltem provinciae septem Belgicae desiderantur. De Rheno utroque non dicam, in quibus calamitatum nec finis est, nec modus. Certe, quae nobis supersunt regiones, eas velut iam fumantes incendio subtraximus, tanquam tabulas ex naufragio retulimus. Adeo Germaniae cervicibus insultarunt, qui olim eius iura adoraverant. Quae alibi acciderunt *Conringius* de finibus Imperii libro secundo passim recenset. Augmenta autem quae Scriptores memorant, sunt exigua prorsus & cum illis quae amissimus, nequaquam comparanda. Hinc de redintegrandis Circulis toties deliberatum est, quam tamen rem in Comitibus pertractatum iri exaudivimus.

XI. Ceterum ut ad affectiones & iura Circulorum propius accedam, habet eorum quisque suos officiales qui salutis publicae assistunt ac provident, ne quid periculi vel domi immineat, vel foris inferatur. Primo inter hos



loco eminent DIRECTOR, qui membra Circuli, quotiescunque necessitas id flagitat, ad deliberandum convocat. Vocatur ein Kreis-ausschreibender Fürst. In quibusdam unus, in aliis duo sunt Directores, Ecclesiasticus unus, alter secularis. In Rhenano Electorali unus est Elector Moguntinus, in superiore Saxonico Elector Saxoniae, in Austriaco unus Archidux Austriae, in Burgundico Rex Hispaniarum; Ceteri duos habent Directores. In superiore Rhenano ex eo tempore, quo Fridericus Palatinus proscriptus fuit, Directoris vicem subiit, praeter Episcopum Vvormatiensem, Landgrafius Hassiae Darmstadianus; sed quoniam per instrumentum pacis in pristinam dignitatem restituta fuit familia Simmerensis Palatina, dubio caret, eam hanc quoque potestatem sibi vendicasse, ac postmodum demortuam, hereditario iure ad hodiernum Electorem Palatinum transmisisse. In Svevico ius Directorii cum Constantiensi Episcopo commune habet Dux Vvirmbergicus. In Vestphalico Director est Episcopus Monasteriensis, & Dux Juliensis: inter quem & El. Brandenburgicum acta & pacta alibi quaerenda sunt. In inferiore Saxonico alternant Dux Magdeburgicus & Dux Bremensis, qui hodie Rex Sveciae, ita tamen ut Con-Directorium semper sit penes Domum Brunsvigo Luneburgensem. In Bavarico Archiepiscopus Salisburgensis & Dux Bavariae praesident. In Franconico Directorium est penes Episcopum Bambergensem & Marchionem Brandenburgicum Culmbacensem.

XII. Quemadmodum autem Directoris dignitas penes unam eandemque familiam sempiterna successionis lege constanter permanet; ita datur alia, eaque temporaria, quae est DUCIS sive Capitanei. Possunt enim Circuli, si ratio svadeat, eligere Ducem einen Kreis-Obersten/ (olim Capitaneum, Kreis-Hauptman). De hoc ita loquitur Svederus in *Introduct. ad Jus Publ. Cap. 5. §. 12. p. 170.* *Eligi in Ducem potest tam status Circuli, quam alius, qui status Circuli non est, utilitate vel necessitate ita svadente.* Vid. R. I. de ann. 1555. Vnde non ferendi sunt, qui in eadem persona semper concurrere putant Directorem ac Ducem, nam res fecus se habet. In Franconico Ducis dignitate eminent Serenissimus Marchio Brandenburgicus CHRISTIANVS ERNESTVS, quam electione procerumque suffragio obtinuit. Hinc cum nuper anno post septuagesimum tertio istud summi militiae Praefecti munus ipsi decerneretur, inter alios Patriae plausus prodibat numus argenteus, in cuius parte altera Serenissimus Princeps, eqvo insidens velocissimo, strictoque gladio & militari habitu insignis, exhibetur, scriptis in margine hisce verbis: CHRISTIANVS ERNESTVS D. G. MAR. BRAN. CIR. FRAN. CAPI-



CAPITANEVS ELECTVS. In altera omnium Circuli Franconici Statuum insignia gentilitia elegantissime exprimuntur, cum inserto duplici emblemate, duarum scilicet manuum, quarum altera gladium ex nube porrigit, altera palmam, cum adscripto superius lemmate: NON ALIO LIBERTAS CONSERVANDA MODO.

XIII. Acriter disceptatum fuit, sub initium huius, quod nunc expirat, seculi, an peregrinus possit esse Circuli Dux. Cum enim Ferdinandus II. Imperator arma undique victorica circumferens, tota belli mole in Saxoniam inferiorem incubuisset, eligebant sibi Circuli istius membra Ducem Christianum IV. Regem Daniae. Quae res adeo displicebat Ferdinando, ut publicis in Regem edictis gravissime inveheretur. Sed Christianus Rex editis vicissim libellis institutum illud exemplo non uno confirmabat. Cessabat mox controversia, cum ipse ad Lutteram oppidum funesta clade affectus pacem a Caesare petiisset, quam & anno octavo vigesimo Lubecae impetravit. Conf. Lundorpius *Act. publ. tom. I. addit. p. 50.* Enimvero male sibi consulere videntur Circuli, quando suam extraneis salutem temere committunt; vel ideo maxime, quoniam peregrinus, cuius ad munus hoc obeundum eligunt industriam, splendidum expectat salarium: si vero ex ipso Circulo sumatur, qui bellicis praesit negotiis, operam illam gratis & spe praemii nulla praestare tenetur, quanquam per Vicarium suo deinceps fungi possit munere. Princeps autem in Ducem electus, Circulo fidem suam addicit: bey seinen Fürstlichen Würden und wahren Wort. Sed si minor sit Principe, iuramento industriam fidemque pollicetur. Iuramentum autem Ducis Circularis huc pertinet, ut testetur I. velle se iura Circuli conservare & omnes status aequaliter tractare. II. Velle se Circuli auxiliis in salutem Reip. non propriam uti. III. Nolle se abuti potestate sua ratione superioritatis & praerogativae. IV. Velle se officio fideliter fungi. Officium vero continet, ut exequatur Caesareae Majest. mandata, caveat ne tumultus in Circulo orientur, curet ne transitus militum noxii sint, aut alieni delectus (frembde Werbungen) instituantur, ut itidem auxilia statuum colligat & denique pacem conservet cum sacram tum profanam, den Dieligion = oder Landfrieden. Vid R. I. de ann. 1570.

XIV. Disquiri etiam coepit sub initium huius seculi, utrum Imperator executionem mandati in Circulo suscipiendam, alteri quam militiae Circularis Praefecto committere possit. Scilicet Donavverda Civitas Imperialis & pars Circuli Svevici propter laesos in publica processione Pontificios, ut notum est, in Bannum fuit declarata, cuius executionem Imperatoris ius-



su aggressus est Maximilianus Bavarus. Quaesitum igitur fuit, iurene executio imperari potuerit alterius Circuli membro. Ordines aegre ferebant quidem, sed Imperator ipsos Svevici Circuli Directores motibus illis implicitos fuisse & executionem hinc prosequi non potuisse praetexebat. An vero haec res sit composita satis, haud parum dubito, cum & Conringius Remp. in tam magni momenti negotio adhuc fluctuare, confidenter affirmet in *Diss. de Iudiciis Reip. Germ. §. LXIV.* Agitari etiam solet quaestio, an Ecclesiasticus possit esse Dux Circuli. Et quanquam inconueniens videatur, Clericum inter militares occupationes ac proelia versari, non desunt tamen, qui Ecclesiasticos seculari dignitate simul pollentes, seposito aliquantisper pedo, gladii usu gaudere, Ducisque fungi posse officio, existimant, praesertim cum in Imperii constitutionibus nihil in contrarium sanciat, neque exemplis destituamur eorum, qui aetate etiam nostra tiaram eum galea commutare & gladium vibrare sustinuerunt. Quid? quod ipse Pontifex Iulius II. eo insolentiae progressus fuit, ut circa superioris seculi exordium gladio militari accinctus ad expeditionem in Gallos iturus, claves Petri in Tiberim abiecerit, dicendo:

*Quum Petri nihil efficiant ad proelia claves,  
Auxilio Pauli forsitan ensis erit.*

Conf. P. Martyr. *Epist. l. 17. Epist. 271.* Sed vero, si unquam opprobrium passa est Pontificia auctoritas, infelici illa expeditione certe turpiter se dedit, quando Ludovicus XII. Galliarum Rex Pontificis excommunicationem dirasque non solum contraria obnunciatione generose fuit ultus, sed aureum insuper numum cudendum procuravit, effigiem suam ex una parte & insignia Neapolis Siciliaeque ex altera parte referentem, cum hoc elogio: **PERDAM BABYLONIS NOMEN.** Haec scilicet erant tropaea gloriaeque monumenta, quae cristatus ille & superbus miles, totius pene Europae turbator, ex bellis temere conflatis, pro merito suo reportavit, digna sane, quae ad posteritatem transmittantur. *Vid. Thuanus lib. I.*

XV. Praeterea adiunguntur Duci Circulari socii, etliche zugeordnete / wie viel deren in einem jeden Kreis für nothwendig und gut angesehen; sunt verba R. I. 1555. §. 56. Oculi enim plus vident quam oculus & manus manum lavat. Est etiam unus qui vocatur der Nachgeordnete. Sic in Circulo Svevico sunt Directores duo Episcopus Constantiensis & Dux VVirtembergicus, quibus adduntur duo Socii alter secularis, alter Ecclesiasticus duo Praelati, & ex Civitatibus totidem. Inter ministros Circulorum sunt Collectores die Kreis-Einnehmer und Kreis-Cassierer / qui colligunt pecuniam,



*DIVISIONE IN DECEM CIRCULOS.*

cuniam, inprimis eam, quae ad sustentationem Assessorum Vitislariensium pertinet. Habentur etiam Secretarii & officiales alii, qui conjunguntur in R. I. de ann. 1570. §. 22. Ein ieder Kreis mit seinen erwählten Obristen / Zu- und Nachgeordneten auch andern Befehlsleuthen. Adest porro apparatus bellicus, daß ein ieder Kreis haben soll sein Geschütz / Artillerie / Munition und was darzugehörig / R. I. 1570. §. 22. Adest matricula in Archivo recondita, quae statuum nomina & auxilia determinata complectitur &c. Conf. R. I. 1576. §. 49.

XVI. Quamquam autem ex his omnibus appareat, multo maximam esse Circulorum utilitatem dignitatemque, si respiciamus emolumenta, quae ad statum pacis, iudiciorum publicorum auctoritatem, vectigalium constitutionem, monetae curas &c. exinde largiter se diffundunt; si intueamur subsidia bellica, quae adversus internam externamque vim prudenter expediuntur; nullibi tamen illustrior huius instituti dignitas comparet, quam in frequentissimis conventibus, ex quibus saluberrima decreta & consilia bono publico insigniter profutura, identidem emanant. Conventus autem illi duplicis sunt generis, in quibusdam conveniunt omnes deputati & vocantur universales, nonnunquam pauciores, & vocantur privati. Generales non nisi duos habemus cognitos. Anno MDC LXVII. habitus est Erfordiae universalis omnium circulorum conventus, postquam Augustus Elector Saxoniae urbem Gothanam cum arce Grimmstein ex consensu Imperatoris expugnaverat. Alter anno huius seculi tertio Ratisbonae propter rempotissimum monetariam fuit celebratus. Ceterum conveniunt non raro Circuli aliqui pauci, qui vocantur die correspondierende Stände. Tales sunt uterque Rhenanus & Vestphalicus: sic colliguntur etiam Circuli Saxonicus, pari ratione Franconicus, Svevicus & Austriacus inter se communicant. Conventus particulares sunt vel statarii, vel non statarii: priores statim tempore, verno scilicet & autumnali habentur, posteriores de re nata. Porro in iis conveniunt vel omnes status, vel certae tantum personae & fit ein engerer Kreis-Tag. Rursus hic oborta est gravis controversia. Nimirum Ferdinandus II. ad pleniorum Monarchiam procedens, introducere vasto molimine contendebat, ut quoties Circuli conventus agerent, ipsum prius redderent certiorum, & de causis monerent. Verum Ordines se suamque auctoritatem graviter interposuerunt & sic sane in hunc usque diem tutati sunt, ut Conventus absque ulla Imperatoris conscientia, instituantur.

XVII. Indici solent Conventus a Directoribus per literas, in quibus moneantur status, ut conveniant, deliberaturi de salute Circuli. Significatur etiam



etiam locus pro arbitrio designatus & praefigitur sex septimanarum terminus. Sic Circulus Franconicus nunc Noribergae congregatur, nunc Bambergae, Svevicus Ulmae, Saxonicus superior Lipsiae. Attinguntur quoque causae & res de quibus consulturi sunt, ut Legatum instruere quivis possit. Post convocationem status praescripto tempore vel ipsi vel per Legatos comparent. Primo autem locum deputatum petunt Directores, aut eorum Legati, a quibus ceteri in domo publica ad deliberandum convocantur, literis credentialibus prius ultro citroque inter se communicatis. Postquam convenere in Curia. confident ex dextro latere Principes Ecclesiastici, ex sinistro seculares. Directorium rem proponit, Laconice quemlibet quaerit, vota colligit, & tandem suam subnectit sententiam. Valent conclusa maiora & rata habentur, quae pluribus placuerunt. Redigitur communis sententia in decretum, quod praelegitur & subscribitur, exemplis authenticis in Archivo reconditis. Negotia, de quibus agitur, sunt vel ordinaria, vel extraordinaria. Ordinaria sunt, quando de corrigendis monetae vitiis & impedienda eius adulteratione, nec non de tuenda pace publica, vel de vectigalium aut collectarum impositione ac moderatione deliberatur. Extraordinaria vero sunt, quando ob praesentem necessitatem Circulis ab Imperio aliquid expediendum iniungitur. Vid. Paurmeist. *de Iurisdict. lib. II, cap. 2.*

XVIII. Nunc vero, si ad specialem Circulorum topographiam excurrere, aut membris singulorum enumerandis operam dare vellem, non solum praescriptos pagellarum limites immane quantum transilirem, sed & cramben decies coctam denuo apponerem. Defunctus enim est hac opera, nec sine laude, *Martinus Zeilerus*, in libro perquam utili quem de decem Imperii Circulis eorumque membris & Familiis illustribus nostro idiomate conscripsit. Nec desunt, qui singulis Circulis illustrandis operam impenderunt, inter quos laudari merentur *Gockelius*, qui Circuli Svevici membra peculiari libello percensuit, *Fritschius*, qui Catalogum Superioris Saxonici suis ad Limnaeum annotationibus inseruit, *Müllerus* qui inferioris Saxonici matriculam in schediasmate de Conventibus Circul. exhibuit. Quae autem ad emendationem & supplementa Circulorum spectant, accurate persecutus est *Boeclerus lib. III. cap. 3. Notit. Imp.* ubi & consilium subiunxit in deliberationibus publicis agitatum, de adornando aliter Imperio, quod tamen successu hactenus caruit. Sed nunc, cum ulterius progredi pagellarum angustia non patiat, pedem hic figo, Deumque Rerum publ. Conservatorem maximum, toto pectore veneror, velit Imperio nostro sempiternam pacem concordiamque largiri, ut exantlatis tot bellis & periculis, in exterorum formidinem civiumque solatium insigniter excreseat.



B. M. II, 53.  
h. 7, 20.

S. IN  
MAN  
DIV

DIVI

M. GE

ST

FRID

APVD CH

II R  
1860

RO-  
ANICI  
CEM

GRATIA

ERTO

DINO

HAGEN

B. B.

AD. TYPOGR.

